S. D. N.

P A V L I

DIVINA PROVIDENTIA P A P AE V.

DECLARATIO reſeruationis beneficiorum per aſſecutionem pacificam vacaturorum.



ROMAE, Ex Typographia Reu. Cam. Apoſtolicæ.

M. D. C. X.

SAnctiſsimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter Dominus PAVLVS diuina prouidentia Papa V. qui in craſtinum eius aſſumptionis ad Summi Apoſtolatus apicem veſtigijs fel. rec. Benedicti x I I. & aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum ſuorum inhærendo, omnia & ſingula beneficia Eccleſiaſtica per pacificam aſſecutionem quorumcunq; aliorum per Sanctitatem ſuam, ſeu eius auctoritate conferendorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, ex tunc vacatura ordinationi, & diſpoſitioni ſuæ, cum decreto irritanti deſuper appoſito inter alia duxit reſeruanda, & cui ex fide dignorum relatione innotuit, quod pleriq; de beneficijs Eccleſiaſticis, præſertim curam animarum habentibus, ſeu alias perſonalem reſidentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, Apoſtolica auctoritate prouiſi, ſeu prouidendi, ante illorum aſſecutionem alia cum eiſdem incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica per eos tunc obtenta in fraudem reſeruationis, & decreti prædictorum reſignabant, ſeu dimittebant. Cupiens opportunum ſuper his remedium adhibere. Voluit decreuit, & declarauit, quod ſi in poſterum quibuſuis perſonis de aliquibus beneficijs Eccleſiaſticis tunc vacantibus ſeu vacaturis per Sanctitatem Suam, aut eius auctoritate prouideri, ipſosq; prouiſos, ſeu prouidendos intra vacationis, & prouiſionis, ſeu aſſecutionis eorundem beneficiorum tempora quæcunq; alia cum illis incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica ſecularia, vel quorumuis ordinum, ac etiam Hoſpitalium regularia, per eos tunc obtenta, nulla ſpeciali, & expreſſa de eiſdem in prouiſionibus prædictis facta mentione, ſimpliciter vel cauſa permutationis, ac alias quomodolibet, ſiue in Sanctitatis ſue vel alterius Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, aut Legatorum, vel Nunciorum dictæ Sedis, ſiue ordinariorum, vel aliorum collatorum quorumcunq; manibus reſignare, ſeu dimittere, aut iuribus ſibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes, & ſingulæ conceſsiones, collationes, prouiſiones, & quęuis aliæ diſpoſitiones de beneficijs, ſeu iuribus ſic reſignandis dimitten-

mittendis, & cedendis pro tempore faciendæ, cum indeſecutis quibuſcunq; caſſæ, & irritæ, nulliusq; roboris vel momenti exiſtant, nec cuiquam ſuffragentur, ſed beneficia, & iura, vt præfertur reſignata dimiſſa, & ceſſa eo ipſo vacent, & vacare, ac ſub reſeruatione, & priori decreto præfatis, quæ Sanctitas ſua etiam quoad hoc extendit, & ampliauit, comprehenſa cenſeantur. Ita quod de illis per alium quam eandem Sanctitatem ſuam, vel pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem nullatenus diſponi poſsit, in omnibus, & per omnia perinde, ac ſi per pacificam aſſecutionem aliorum beneficiorum huiuſmodi verè, & realiter vacauiſſent. Decernens ſic per quoſcunq; Iudices etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, dictæq; Sedis Legatos, & Nuncios. Sublata &c. iudicari, & diffiniri debere irritumq; &c. attentari.

Placet publicetur, & deſcribatur C.

Lecta, & publicata fuit ſupradicta Regula Romæ in Cancellaria Apoſtolica Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo nono, die verò Iouis vigeſimaquinta Menſis Februarij Pontificatus prædicti Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Anno Quinto.

M. Perettus Cuſtos.